

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Henr. Jac. van Bashuysen, S. S. Theol. D. & P.P.
Meditationes Pentecostales De Nexu Paschatis Et
Pentecostes**

**Bashuysen, Heinrich Jakob von
Servestæ, MDCCXXII**

VD18 13248022

urn:nbn:de:gbv:45:1-17347

114
HENR. JAC. van BASHUYSEN,
S. S. Theol. D. & P. P.


MEDITATIONES
PENTECOSTALES
DE
NEXU PASCHATIS
ET
PENTECOSTES.



SERVESTÆ,
Typis SAMUELIS TITII, Illustr. Aul. & Reg. Typogr.
M DCC XXII.

L. B. S.

Nuper tibi B. L. exhibui Meditationes meas Paschales, jam sequuntur Pentecostales, quibus ea, quæ difficilius, tantum recensita, Auditorum meorum memoriæ inhaerent, ad opem ei ferendam, Typis exhibeo: Ex quibus novo specimine constat, qua Methodo hac in palestra, Antiquitatum studio prætiosissimo, sed jucundissimo & utilissimo, verser. Olim multo ære acquisivi apud Rabbinos cognitionis Antiquitatum solidum fundamentum, i. e. percucurri & perreptavi plerosque Rabbinos, Misnam, Gemaram, hæc XXII. abhinc Annis excolui, expolivi, unde sperem, me fidelem in his Hodegetam esse posse, idque eo magis, quod Antiquitatum verum finem indicem, qui est Christus: Quibus si Gymnasio huic profim, ad Auditores Academiis digne præparandos, ne plura dicam, gaudeo; Qui nihil aliud quæro, quam rite defungi munere demandato. Vale. Dab. Servest. a. d. 25. Maji 1722. adeoque Fer. I. Pentecost.



MEDITATIONES PENTECOSTALES

De
NEXU PASCHATIS ET PENTECOSTES.

§. I.



Omini *Pyrrhonismo* a) dedito nihil magis placet, quam sacra miscere profanis, & unam eandemque illis tribuere auctoritatem; *Florus* mentitur ex Doctissimi *du Fresnoi* conjectura non inepta, ergo quoque *Misna*, imo totum *Talmud*. Ita vellet *Tolandus* b) a variis refutatus, *Fay*, *Benoit*, *Past. Delph.* & nuper *Cl. Joh. Laur. Mosheim in Vindiciis antiquæ Christian. Disciplinæ adversus Joh. Tolandi Nazarenum*. Nos iis eo majorem fidem habemus, quod videamus, hostes Christi, qui igitur a posteriore Christum describere noluerunt, ejus lineamenta & Typos nulla arte factos, sed a Deo & *Cathedra Mosis*, quæ hanc auctoritatem vi fœderis Sinaitici acceperat, mandatos, nobis in Libris suis conservasse.

§. II. Inter quos excellit ritus numerandi dies a *Paschate* ad *Pentecoste*; Qui ita se habent, die XIV. fermentum expurgabatur, eadem *vespera*, quod tempus vocat *Moses* בין ערבים unde sibi *chimæras* formant Christiani illi, quibus *Judaicarum Antiquitatum fontes* sunt liber clausus & obsignatus. Est enim revera tempus inter solis occasum & stellam vespertinam: *Judæorum Doctores* dicunt, a quo sol occidit, usque in mare abit. Quid hic opus est omnium *Commentatorum* sententias sæpe absurdas recensere & *Lectorem* confundere.

§. III. Altera dies vocatur festum *Azymorum*, unde est 1. & 7. *מקרא קודש* convocatio sancta, *Græci* dicerent *συναγωγή* collectio *hominum*, reliquis diebus intermediis laborare licet, certis tamen

ex-

a) Alii sine h scribunt, vid. *Joh. Alb. Fabricii Bibl. Græca*.

b) Obiit impostor hoc A. 1722. quo etiam plures Viros bonos amisimus.

exceptis laboribus. Vespera diei hujus XV. inclinante ad auroram sequentis XVI. nuncii *Synedrii Magni* colligunt manipulum ex agro torrenti *Cedron* vel cinerum vicino, qui ritus *Menachot* Cap. X. §. 3. tam clare describitur, ut præter verba ipsius *Misnæ* nihil hic vel ab acutissimo, in Lectione Rabbiorum versatissimo addi possit: NB. Eadem dies XV. fuit חגיגה quæ incidebat in diem Veneris eo tempore, quo Dominus *Jesus* e vivis sublatus fuit, ut post *Salomonem van Til*, *Virum Clariss.* Dominus Prof. *van Alphen*, (ut ex *Gerdes* defensione suæ *Disp. de Messe Judæorum* colligo) in *Diff. edenda de Paschate Christi ultimo cum Judæis habito*, probabit, & *Judæus conversus Christianus Meierus* in *Tr. de Maria ערומה sive virgine & Paschate* *σαυροσιμω*, de quo *Joh. Henr. Majius* filius quoque consuli, post *Cloppenburgium* & *Bynæum* contra *Capellum* merentur: Officium enim eorum est, qui defendunt, Christum legem (etiam Rabbiorum) implevisse, non mutasse, hunc nodum solvere, quo *Langius* aliique contendunt, eum Sadducæorum modum sequentem *Pascha* anticipasse, & sic non die *Jovis*, sed *Mercurii* celebrasse, quæ sententia si valeret, frustra die *Jovis* cultui publico interessemus, & fabula esset fundam. S. *Cænæ* eadem die celebranda a multis.

§. IV. Ille Manipulus ex *hordeo* erat, quod prius quam *tritium* prodit, unde pronum est credere *Manipulum* messem, & duos panes *Pentecostes* mastram consecrasset, sive esui licito præire debuisse, tandem festum *Tabernaculorum* horrea clausisset, & Deo pro tota messe gratias debitas reddidisset. Si non maturesceret *Hordeum*, fiebat intercalatio XXX. dierum, p. 577. *Godw. Mos. & Ab.* ex ed. *Hott.* Viri Clarissimi. Si vero satis maturesceret, dicebatur *recte, recte, recte*, clamanti *an metere liceret*, deinde *hac falce &c.* hoc corbe &c. demessas fruges portabant cophino in atrium, ad Sacerdotes, ubi tritabantur, frumentumque bacillis excutiebatur, molebanturque granula in mola fabaria; Miscebatur hæc farina purissime expressa cum oleo ac thure, & offerebatur Deo in altari.

§. V.



§. V. Hoc vocant *primitias*, & quidem *primitias primo pri-
mas*: Unde loco primitiarum offerebantur, & pretio publico eme-
bantur. NB. Qui messuri erant sole occidente egrediebantur, &
ter quarebant, *occiditne sol*, reliquis respondentibus *occidit*: Vide
Præceptorem meum incomparabilem *Jac. Rbenferdium* p. 116.
Comp. exp. Anniv. Pont. Max. in V. T. cum unica atque æterna exp.
J. C. & in Syst. n. Antiq. Hebr. majore omnium probationem.

§. VI. Hinc jam numerantur septem septimanæ, ita ut dies L. a
festo *Oblationis* manipuli sit עֲצֵרֶת h. e. *Pentecoste*, qua die legem ex
Sinai fuisse publicatam constanti traditione defendunt, rituum Pa-
ternorum callentissimi Judæi. Inde Græcum nomen ΠΕΝΤΕΚΟΣΤΗ OR-
tum esse, ab aliis, præcipue Dn. *Joh. Meyero*, S. S. Th. D. & P. qui
optime de *festis* scripsit, demonstratum est. Quod colligunt ex
mandato Dei, Lev. XXIII, 10. his verbis: *Et numerabitis vobis e*
crastina Sabbathi a die, qua manipulum agitationis adduxeritis:
Septem septimanæ integræ sunt. Hinc actus סְפִירַת עוֹמֵר *nume-*
ratio manipuli apud Judæos vocari solet. Quem hac benedictione
incipere solent מֶלֶךְ הָעוֹלָם אַתָּה בְּרוּךְ הַקְּבוֹרָה עַל סְפִירַת הָעוֹמֵר Ab-
breviate, בְּאֵמָה quod aliis *Viris Doctis*, quando eorum scripta
inciderunt, in ignorantium *Correctorum* manus, vel pigros ha-
buerunt *Typothetas*, quoque accidit, non *E. Virorum Doctorum*,
sed horum hominum culpa, male legitur ridicule admodum
בְּאֵי אֵמָה ex quo in transitu patet, quam necessum sit hominem ho-
rum scriptis recte utentem, etsi non plene, tamen mediocriter exer-
citatum esse debere in *Lingua Sancta*, unde facile tales agnoscuntur
& tolluntur errores: Vertimus: *Benedictus sis Domine Deus noster,*
Rex mundi, qui sanctificasti nos præceptis tuis & præcepisti nobis
de numeratione manipuli, vid. *Maim. tr. תְּמִידִין* Cap. VII. f. *Modum*
numerandi exhibui in *Tab. numerandi Kabbalistica Hanoviae* edita
in *Typogr. propria orientali*. Vultis illum probari? Legite *Schul-*
cham Aruch in אורח חיים n. 489. אחר הפלת ערבית
מתחילין לספיר העומר ואם שכח לסור בתחלת הלילה הולך וסופר
כל הלילה ומוה על כל א' לספיר לעצמו וצריך לספור מעומר ולבתך
תהלה

תחלה וסופר הימים והשבועות כיצד ביום הראשון אומר היום יום
 אחר עד שמגיע לשבעה ימים ואז יאמר היום שבעה ימים שהם
 שבעה א' וכיום שמיני יאמר היום ה' ימים שהם שבעה א' ויום א' וכן
 עד שיגיע ליום י"ד יאמר היום י"ד ימים שהם שני שבועות ועל דרך זה
 : *Vertente Hottingero Godw. M. & A. p. 575. Post
 orationem vespertinam ineunte nocte secunda numerum Manipuli inchoare
 solent. Si quis numerationem hanc oblitus est, poterit deinceps tota nocte nu-
 merare. Singulis incumbit, ut in usum proprium numerent atque hoc stan-
 do. Præterea tenentur præmittere orationem, numerare dies & septima-
 nas. Modus autem hic est. Die prima inquit: Hodie dies primus & sic (nu-
 merat dies) donec accesserint septem dies. Tum vero dicet: Hodie est dies
 septimus, qui unam constituit septimanam. Die octavo: Hodiernus dies
 octavus est, qui facit unam septimanam & insuper unum diem. Quomodo
 pergit ad diem XIV. Tum ait: Hodiernus dies est XIV. quia conficit duas se-
 ptimanas. Ad hunc modum computus ad XLIX. diem ducitur. Habent ple-
 rique Judæi circulos, quibus hæc inscribunt, hoc fere modo:*

(יום
שלישי)

(יום
שני)

(יום
אחד)

Tabellis enim istiusmodi juvari memoriam optime novit astutissima gens.

§. VII. *Conclusio* illarum ספירות עומר *numerationum festi-
 manip.* in quo desinebat, incidebat in 50. diem seu *Pentecosten*, quod
 festum ut nobis in *Majum*, ita illis in mensem *Sivan* incidebat; Quo
 jam ad esum elaborari poterant fruges, unde *differentia Messis ipso-
 rum & nostræ est*, quod *Cananæi & Ægyptii arva cum falce visunt
 paulo ante Calendas Aprilis, peraguntque Messem Majo*, *Plin. L.
 XVIII. C. 18. illud confirmat Leo Afer, testis αὐτοπιῆς Descr. Afr. L.
 8. C. 8.* Verba sunt *Godw. in M. & A. L. III. C. V. §. 7.* Quid dicis *To-
 lande*, qui frugiferam fuisse terram *Canaan* contra expressum Dei
 verbum negare ausus es? Mirum autem est, his panibus *Penteco-
 stalibus* addi debuisse *fermentum*: Manipulo vidimus additum fu-
 isse *oleum & thus*, non autem *fermentum*; Hi vero duo panes triti-
 cei requirebant cum *oleo fermentum*: Mensura farinæ erat trium
Satorum, (modium *Epha* vocare possumus.) Quæ *Sata* ex proprio
Israelitarum agro esse debebant.

§. VIII.

§. VIII. *Mysterium* : Christus ut manipulus fruges sanctifi-
 cans captus die *Jovis*, ipso festo Paschatis, comedit *Pascha* die XIV.
 vespera vera seu naturali & sic dicta, sive בין ערבים *inter duas ve-*
speras; Die XV. vespera ad XVI. abeunte colligitur Manipulus, &
 die XVI. in templo Deo offertur: Ita *Christus* circa III. usque ad VI.
 nostram pomeridianam, captivatur ultimo, hoc est, apparet coram
Pilato 1.) cum 2. discipulis, Petro, ut videtur, & Simone Cyrenico,
 qui antennæ crucis subjectus eam portare cupit, Christo forte ulti-
 mum tramitis recti portando quiescente. 2.) *flagellatur*, more Ro-
 man. non loris servilem in modum, sed, ut liberi castigabantur, *fla-*
gris, sive summitatibus betularum, quod proprie est *flagellare*. 3.)
 Tandem ut manipulus extollebatur, quod תנופה vocatur: Non-
 nullis תרומה est tollere in altum, sed תנופה a sinistra ad dextram,
 rectius ab ortu ad occasum: Huc videtur alludi, cum dicitur
 תמידן C. VII. מניפו במזרח מוליד ומביא מעלה ומוריד *Agitaba-*
tur ad ortum, movebatur huc illuc, sursum & deorsum. Godw. M. &
 A. ed. *Hotting.* p. 570. Ita Christus, pro toto mundo passus, in me-
 dio aere pependit, ut *Noach* ebrius inter filium frugi & Chamum im-
 pium pendebat, (qui juxta D. v. *Hardt* cubavit cum matre, quod ei
 est verenda patris revelare,) inter duos latrones, quorum unus De-
 um in filio deprædicabat, alter albo dente ridebat; (an fuerint ho-
 micidæ, non constat, verisimile tamen est:) *Redemptor* omnium,
 ipsum sincera fide amplectentium, sive homicidæ fuerint, fures, vel
 quicumque demum: Modo resipiscant, nam Jacobi II. *peccantes ad*
mortem sunt resipiscere nescii, ut illo loco recte observavit *Creygto-*
nus. 4.) *Oleum & thus* notat gratiam Spir. S. quæ ut Sal hostias,
 ita Christum Patri reddebat gratum, vid. *Disp. n. de Salitione per*
ignem. 5.) *Torrere* quid sit, liquet ex tota *Hist. Holocausti*, nota-
 bat, Christum media quasi die arefaciendum esse doloribus anima
 ad crucis palum, nam animam maxime passam esse, constat ex natu-
 ra rei, & a Clariss. *Braunio* in *Syst. Theol.* probatum est. 6.) *Ager*
Israel notat, Christum ex Israel esse debere, & exaltandum esse in
 montibus Israel, vid. C. M. ad *Ezech. C. XVII.* Sic Christus est *pri-*
mi-

mitiæ primæ, qui consecrat sua morte futuram *Electorum* massam,
 1. Cor. XV. ita vocatur. 7.) *Massa* vocatur die *Pentecoste*, ubi 2. pa-
 nes supra dicti & descripti offerebantur: (a) ex *terra Israel*, Chri-
 stus enim primo vocavit contribules suos, *Petrus* & alii ad 3. sata, i.e.
 3000. qui *congregati* fuerunt Hierosolymis, forte in *conclavi lapi-*
dum cæforum: Super illos (b) *oleum* effunditur Spir. S. (c) Sunt *fer-*
mentati, ut notaretur, ex paucis *Electis* totum mundum colligen-
 dum esse ad Ecclesiam, verbum sane Evangelii ex Zion egredi debe-
 bat, Jes. II. *Lex* illa nova, improprie *Lex* dicta, proprie *Doctrina*
cœlestis, *Evangelium æternum*, qua *Phrasi*, bone Deus, quantum
 abutuntur, qui se *Evangelii æterni* Doctores vocant, quos doleo a Dn. *Eng-*
elschall cum *Coccejanis* confundi, illi enim non corporales, sed cœlestes be-
 nedictiones expectant in Regno Dn. nostri J. C. glorioso, de quo videatur
 Cl. *Camp. Vitringa* in Cap. XX. *Apocalypso*, & Doctiss. *Seizius* in Schemate
Apocal. publici Juris factò. *Evangelium æternum* est primæ promissionis
 promissio vel applicatio, perditum in corruptelis Pontificiorum Per. IV. re-
 stitutum ope Petri Valdo, unde alii *Waldenses*, alii a Vallibus derivant, tan-
 dem per *Lutherum* & *Calvinum*, aliosq; NB. sedulos S. literarum Scrutato-
 res. Multi hæc *Mysteria* non intelligunt, non mirum, quia S. S. non le-
 gunt, vel si legunt, *vim, phrascs*, &c. illius non intelligunt: *Tu vero, Domi-*
ne, reterege oculos meos, ut intuear mirabilia ex lege tua. Pl. CXIX, 18. *Fontem*
hunc bibam, & tunc vivam. Aug. Conf. L. 12. C. 10. (d) *Constant* 3. *satis pol-*
lente, prima Pentec. 3000. Animæ sunt conversæ: Quotus pastor tota vita
 unum, vel X. convertere potest: Præcipue amore Dei & proximi caren-
 tes, impii aut indocti. Tamen hoc audire nolunt: Veritas odium parit:
 Plures sequentur, Doctoribus ultimi temporis iterum singulari benedicti-
 one gavisoris. Jes. LXXV, 20. Fermentum primum est adhuc in *Massa Ec-*
clesiæ, vera *Doctrina* nunquam perire potest, ut nec unquam V. T. plane
 interiit. 2. Chr. XXXIV, 14. Dan. IV, 27. IX, 13. Vel *oleum* & *fermentum*
 notare possunt, cum Sp. S. bona opera concurrere debere, licet prior ex-
 plicatio mihi magis placeat. (e) *Duo* erant panes, ut notetur, Christum
 pro omnibus sc. Nationibus mundi esse mortuum, *Gentibus* æque ac *Juda-*
is, nisi quod Petrus, i. e. Judæi præcedere debeant, non autem omnes,
 sed tantum selectæ quædam primitiæ, in fine vertetur modus, re
 ipsa tamen manente.

